



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata

In Qvatvor Tomos Distincta

Humanæ salutis Monumenta, & Odæ variæ

Arias Montano, Benito

Antverpiæ, 1589

In tabulam Ioannis prædicantis. Ode Tricolos Tetrastrophos. XLIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44973

Atquē & profundis consiliis Dei
 Præfens videtur nunc animo frui,
 Inde & relatos explicare
 Quos rogat insinuatque sensus.
 Aut illa cælo, non nimium diu est,
 Mens venit, artus induit & nouos,
 Vocesque promens efficaces
 Se puerumque, Deumque præbet.

GRATIAR. THESAURVS.

Diuinæ studium Sophiæ pulcherrima vitæ
 Esse puer, nobis munera, sancte, probas.

DIVINITATI EMICANTI S.

In tabulam Ioannis prædicantis.

Ode Tricolos Tetraastrophos. XLIII.

Vocem, salutis quam fore nuntiam
 Dixere præcis temporibus pij
 Vates, Iarden obstupenti
 Flumine percipit vsque primus:

Quando efficacis fulminibus soni
 Commotus omnis contremuit locus,
 Quacunq; distinguunt iacentes
 Aequora Gilghedusque terras.

Hanc & colonus gentibus impiis
 Vicina iungens prædia, combibit
 Non aure surda, hanc ipsa Iudæ
 Posteritas, Solymumque ciues.

Deducta cælo tempora gratiæ,
 Mistas & altis pollicitis minas,
 Mirantur omnes, ac loquentis
 Vultum habitumque hominis seuerum.

Namque is fidelis credita munera
 Legatus, alti & consilium Dei
 Dum præco complet, nec potentis
 Suspicit aut metuunt tyrannos:

Ostendit vnam & perpetuam sibi
 Curam, docendo sistere denios
 Ad limen angustum salutis,
 Atque ducem cecinisse certum.

Oblata

Oblata non huic gloria commouet,
 Non durus ensis propositum graue;
 Id quippe monstrabat seueræ
 Frontis honosque habitusque vitæ.

LVCIS DIV CORVSCATIO.

Certa reducendis animis pereuntibus atque
 Clara via est, morum cum probitate fides.

SALVTIS NVNTIO GRAVISS. P.

In tabulam Christi in Iordane baptizati.

Ode Tricolos Tetraëstrophos. XLIII.

Quæ festa lux hæc, dicite montium
 Siluæ? quid alto gaudia personant
 Clamore ripes, quas imago
 Percipit, ingeminatque voces?

Quæ tanta præceps pennigerum genus
 Exercet alis cura micantibus,
 Cæli per oras atque acutis
 Cantibus instrepitare cogit?

Iam gestientis lætitiæ decus
 Quæ causa nuper proferat audio,
 Trini quod inspectanda terris
 Numinis emicuit potestas.

Hic nam nitenti lumine spiritus
 Delapsus alti culminibus poli
 Candentis aspectum columbæ
 Præbuit, auricomumque lumén.

Et vox ab æthra personuit Patris
 (Quam densa siluæ contremuit coma)
 Audita, præsentemque natum
 Dicere, & hunc populis magistrum.

Hunc, quem neque alti conscia numinis
 Natura nostrisque vltèrius modis
 Virtus refulgens administrum
 Esse hominum generi retardat.

Hic se minori subdidit hospiti
 Amne abluendum, purus & innocens,
 Nec ipse quamuis vsque compos,
 Id quod erat, tamen efferebat.